



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Disputatio 4. De Necessitate Morali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

de essentiali illius constitutivo; at non est Deo intrinsecus, sed extrinsecus, quia non unitur Deo physicè, sed tantùm moraliter. Pariter cùm caput morale non sit de intrinseco constitutivo membrorum, neque penetretur cum suis membris, neque uniatu suo corpori physicè, sed tantùm moraliter, licet sit de intrinseco constitutivo concreti resultantis ex corpore, & capite, non est de intrinseco constitutivo corporis; sed eo ipso, quòd sit caput duntaxat morale, est corpori extrinsecum, nec ad istud munus requiritur, quòd sit pars, sed quòd influat, & communicet corpori dona intrinseca vel ex merito, vel ex potentia sua; ad partem enim opus erat, quòd ab altero extremo posset perfici; sicut caput physicum perficitur à membris per

influxus, quos ab illis participat, ideòque est etiam membrum; cùmque neque Deus, neque Christus à nobis perfici possint, nequeunt esse pars in illo concreto, sed extremum concreti constitutum: sicut Verbum Divinum non est pars, sed extremum constituens cum humanitate Christum, ut constat à num. 28. Ideò, cùm non solum Christus Dominus, sed etiam Deus se solo possit influxus intrinsecos, sive dona intrinseca nobis comunicare, nosque ita sapienter gubernare, non solum Christus, verùm etiam Deus se solo satis est, ut sit caput nostrum morale: unde nullus remanet locus, ut ordo gratiæ habitualis ex intrinsecis suis exigat Christum, ut caput.

\* \* \*

## DISPUTATIO IV.

## DE NECESSITATE MORALI.

128. **G**ranadus tract. 2. de voluntate Dei disp. 3. & Melchior Juster in tractatu etiam de voluntate, fusissimè docent, DEUM necessitatum fuisse moraliter ad Incarnationem, atque in favorem suum adducunt Patrem Ruiz de Montoya; at licet Montoya aliquid induat, ut infra dicemus, toto cælo distat à sententia horum Authorum: isti quidem admittunt in Deo necessitatem moralem antecedentem fundatam in ipsa natura divina, vel in amore, quo Deus se necessariò amat, ratione cujus, si Deus non efficeret opus Incarnationis, deficeret ipse Deus; at verò Montoya eatenus solum admittit hanc necessitatem moralem, quatenus si ista deficeret, non ideò deficeret Deus, sed duntaxat sequeretur, quòd deficeret aliquid, quod erat moraliter impossibile. Hanc secundam necessitatem ut impugnemus, examinandas est prius moralis necessitas, quam Granadus, & Juster excogitarunt in Deo.

## SECTIO I.

*Proponitur, & rejicitur moralis necessitas.*

129. **F**undamentum Granadi, & Juster hoc est: Incarnatio est opus præ aliis melius, & optimum: sed Deus hac stricta necessitate necessitatur ad melius, & optimum: ergo necessitatur ad Incarnationem. Cæterum ut essentia melioris, & optimi innotescat, notat 1. ex Montoya Juster à num. 226. de voluntate melius, & optimum posse multipliciter summi. Primò est, prout est DEO placentius. Secundò pro meliori affectivè, seu aptiori ad finem. Tertio pro meliori intrinsecè, & entitativè, ut in eo magis splendeat bonitas, & perfectio DEI, sive sit melius negativè, quatenus non datur aliud melius, sive positivè, quatenus est melius alio

imperfectiore, vel prout est melius suà carentià, vel melius altero, sive omni termino positivo; Granadus verò solum intelligit nomine melioris, & optimi, quòd magis conducit ad DEI gloriam ejusque necessitatem dicere stare inter extrema contradictoria, inter quæ non progreditur in infinitum, modò aliud extremum sit melius, & optimum ad gloriam DEI, ut Incarnatio præ non Incarnatione, & mundus præ non mundo.

Notat 2. Juster, Deum solum esse necessitatum moraliter in rebus finitis, in quibus datur melius & optimum: nam in iis, in quibus progredimur in infinitum, nec datur melius nec optimum; unde infert melius & optimum non esse quid determinatum; nam determinatum debet esse individuum, & intra eandem speciem dantur infinita individua, quorum nullum est optimum; idem esto de specie: nam intra idem genus sunt infinitæ species, aliæ aliis perfectiores, ac proinde nulla determinatè est quid optimum; cùm autem DEUS duntaxat necessitatur ad optimum, exinde ad nullum individuum, nullamque speciem determinatam erit moraliter necessitatus; ideò ajunt, solum esse necessitatum ad aliquid vagè, & indeterminatè, in quo non fiat processus in infinitum, v. g. ad aliquam Incarnationem, ad producendum aliquem mundum, & ad aliquem prædestinandum. Montoya verò, quem plures Recentiores sequuntur, alià incedit viâ; non enim admittit necessitatem moralem in Deo, vi cujus DEUS defineret esse DEUS, si optimum non eligeret, sed vi cujus non possit esse prudens dubium de opposito, cùmque, ut ipse ait, independenter ab omni prævia libera suppositione non potuit esse prudens dubium de eo, quòd DEUS omisisset Incarnationem, exinde infert DEUM necessitatum esse, hac secunda necessitate morali ad Incarnationem. Hæc sunt Authorum fundamenta, quæ, ut seorsim rejiciamus.

Ase-

131. **A**ssero 1. Deus non est necessitatus moraliter ad Incarnationem, ita, ut DEUS non esset Deus, si Incarnationem non efficeret. Probatum 1. DEUS imprimis non necessitatur antecedenter ad optimum, prout est DEO placentius; nam quæcunque facit DEUS, placent illi non solum inefficaciter, sed etiam efficaciter in ordine ad finem à sua providentia intentum; unde relatè ad hunc finem sunt DEO placentius: sed non ita necessitatur moraliter ad omnia, quæ præduxit; quis enim dicat, DEUM non fore DEUM, si non produxisset stupram? deinde non necessitatur ad optimum affectivè, quia poterat nihil intendere ad extra, ac proinde nec medium optimum ad aliquem finem ad extra assequendum. Præterea neque ad optimum negativè, cum ad hoc nulla necessaria sit productio; neque ad optimum positivè, aliter necessitaretur ad plura possibilia meliora aliis terminis positivis, neque necessitatur ad extremum melius entitativè sumptum; aliter necessitaretur ad Incarnationem Patris, & Spiritus Sancti, & ad prædestinationem omnium hominum, & Angelorum; neque ad optimum vagè, siquidem à parte rei nihil est vagum, sed omnia sunt determinata; imò & vagè manet etiam progressus in infinitum; nam aliquis lapis minus perfectus est, quam aliquis homo, & sic in infinitum relatè ad perfectiores creaturas possibles: ergo nullo ex his modis excogitatis ab Adversariis DEUS est necessitatus ad optimum, ac proinde neque ad Incarnationem.

132. **P**robatum 2. Necessitas ita stricta, ut si DEUS Incarnationem non eligeret, eò ipsò deficeret DEUS, non solum est moralis, sed etiam physica & metaphysica: atqui per vos non datur in DEO necessitas physica, vel metaphysica ad Incarnationem: ergo neque ista moralis necessitas. Probatum maj. necessitas metaphysica ad aliquem terminum illa est, quæ nec de potentia DEI absoluta impediri potest: sed talis est hæc stricta moralis necessitas: ergo est necessitas metaphysica. Probatum min. nullà potentia DEI absolutà fieri potest, quòd DEUS non sit DEUS: atqui ut fatentur Granado & Juster, si DEUS Incarnationem non produceret, non esset DEUS: ergo nullà potentia DEI absolutà impediri posset Incarnatio.

133. **R**espondebis ex Juster num. 284. de voluntate, distinguendo hanc ultimam min. defiter DEUS absolutè, & antecedenter, nego; quia potuit physicè non eligere optimum: deficeret ex suppositione, & consequenter, concedo: quia cum DEUS sit talis naturæ, ut semper eligat optimum, si optimum non eligeret, deficeret talis natura, ac proinde deficeret DEUS, unde absolutè, & antecedenter datur in DEO libertas physica cum necessitate morali, quæ DEO non repugnat. Corroborat solutionem suam primò in hunc mundum: admissis divinis prædefinitionibus actuum liberorum, ista forma arguendi non concludit, si non fieret actus præ-

definitus, frustraretur prædefinitio: atqui potest non fieri: ergo potest prædefinitio frustrari. Secundò si homo per longum tempus vitaret omnia venialia absque speciali gratia, non esset homo: sed habet potentiam antecedentem ad vitandum sine speciali gratia omnia venialia: ergo habet potentiam antecedentem ad faciendum, quòd non sit homo. Hæc argumenta, inquit Juster, non concludunt, ac proinde neque nostra concludunt ob rationem suprà datam. Iste autem corroboraciones, & instantiæ Adversarii eodem morbo, quo solutio, laborant, ut constabit à num. 137. ideòque nullius momenti sunt, quapropter.

134. **C**ontrà 1. in Deo non datur potentia physica antecedens ad aliquid, quo posito deficeret consequenter Deus, ex suppositione, quòd sit talis naturæ: atqui ut fatetur Adversarius, si Deus non produceret Incarnationem, deficeret consequenter ipse Deus ex suppositione, quòd sit talis naturæ: ergo &c. Probatum maj. Deus non habet potentiam physicam antecedentem se conjungendi cum aliquo, quo posito sequantur duo contradictoria: atqui si in Deo daretur potentia physica antecedens ad aliquid, quo posito deficeret consequenter Deus ex suppositione, quòd sit talis naturæ, sequerentur consequenter duo contradictoria; etenim ex eo defectu sequeretur, quòd esset, & non esset Deus; esset quidem ut supponimus, non esset, quia deficeret: ergo &c.

135. **C**ontrà 2. Deum non posse physicè, & consequenter non operari Incarnationem ex suppositione, quòd sit talis naturæ, est metaphysica necessitas consequens ad producendam Incarnationem ex suppositione, quòd sit talis naturæ, sed hujusmodi necessitas omnino repugnat Deo: ergo &c. Probatum min. Deum ex suppositione, quòd sit talis naturæ, esse metaphysicè necessitatum ad Incarnationem, perinde est, ac dicere, non posse omittere Incarnationem ex suppositione, quòd sit Deus; Deus enim ut Deus liberrimè operatus est Incarnationem, ut Adversarii fatentur, ac proinde liberè eam produxit ex suppositione, quòd erat Deus: ergo ex suppositione, quòd esset Deus, poterat simul non producere, & omnino impedire Incarnationem.

136. **C**ontrà 3. metaphysica necessitas antecedens ad Incarnationem, ut fatentur Adversarii, omnino repugnat Deo: sed hæc consequens necessitas indispensabiliter arguit metaphysicam antecedentem necessitatem in Deo. ergo &c. Probatum min. necessitas consequens fundata in suppositione antecedenti metaphysicè à Deo inevitabili indispensabiliter arguit metaphysicam necessitatem antecedentem; sic enim Pater æternus est metaphysicè necessitatus, & quidem antecedenter ad producendum Filium, quia illa necessitas fundatur in suppositione antecedenti sæcunditatis naturæ &c. à Patre metaphysicè inevitabili: sed sic se habet in Deo hujusmodi necessitas consequens non ad producendam

dam Incarnationē siquidem fundatur pro vos in suppositione, quod Deus sit talis naturæ, quod quidem est metaphysicè à Deo inevitabile, cum metaphysicè repugnet, quod Deus non sit talis naturæ: quamobrem ea solum necessitas consequens est consentanea libertati, quæ fundatur in suppositione antecedenti impedibili ab ipsa libertate; aliter non posset subsistere definitio agentis liberè, quod ita constituitur potens ad utrumque, ut pro libitu suo se determinet ad unum præ altero libertatis extremo. Atque exinde apparet, quomodo instantiæ Adversariorum adductæ n. 133. peccant in præmissis.

137. Etenim falsò supponitur in prima instantia, dari prædefinitiones libertati consentaneas independentes à scientia mediâ, seu à voluntate impedibiles: admittimus enim divinas prædefinitiones, sed pendentes à scientia mediâ subsequente consensum liberum conditionatè prævisum, ac proinde impedibiles à voluntate, ita, ut eadem voluntate, qua pono actum, potens non ponere, non impediam prædefinitionem ab eo pendente potens illam impedire. Quare secunda instantia etiam assumit falsum in majori; nam ex suppositione, quod homo absque speciali gratia præventus omitteret omnia venialia, non sequeretur, quod non esset homo, sed quod physicè deficeret id, quod in aliquibus circumstantiis erat moraliter impossibile, ut deficeret: quod autem deficiat physicè, quod moraliter deficere nequit, nulla est contradictio; sicuti nulla est contradictio, quod divinitus, seu metaphysicè deficiat inhaerentia physica accidentium in Eucharistia, quæ nequit deficere physicè, seu naturaliter.

138. Et ratio est, quia impossibilitas antecedens ad evitanda sine speciali gratia per longū tempus omnia venialia non est physica; quia sine physica libertate nequit committi peccatum, nec sufficit libertas in Adamo, ut in capite; ut declaravit Alexander VIII. damnando primā propositionem ex 31. propositionibus, unde solum est moralis fundata in ipsa natura nostræ voluntatis fragilis, & pronæ ad malum, atque in tentationibus carnis, mundi, & Dæmonis vires aliquo modo enervantibus, & in natura specialis gratiæ dantis potentiam robustam ad eos vincendos, ex qua ingenti difficultate formido suboritur hominis, si speciali gratia non præveniatur; quod si hoc iudicium falsificaretur, non sequeretur, homo non quod esset homo, nec quod non præcessisset moralis necessitas, sed quod vincebatur physicè, quod non poterat moraliter vinci; in hac autem providentia datur necessitas metaphysica consequens ad aliquem lapsum veniale hominis per longum tempus; si speciali gratia non præveniatur; quia deus prævidit per scientiam mediâ, unumquemque aditum ex productis, & producendis, quamvis potuisset non labi, lapsurum tamen in aliquod veniale, si speciali gratia non præveniatur; ex quibus facillè dissolvuntur Adversariorum instantiæ.

Affero 2. Deus non est moraliter necessitatus ad Incarnationem, ita, ut nulla præsupposita libera dispositione non possit formari prudens dubium de opposito. Probatur 1. Nulum efformari potest iudicium prudens absque dubio, aut suspicione de opposito, quando apparet fundamentum grave ad non efformandum tale iudicium; sed apparet fundamentum grave ad iudicandum, Deum non esse moraliter necessitatum ad eligendum optimum: ergo. Probatur min. Incarnatio Patris est optima, utpote melior suâ carentiâ; prædestinatio omnium est optima, utpote conducenior ad majorem Dei gloriam extrinsecam accipiendam ab hominibus per totam æternitatem, atque ad ostensionem suæ misericordiæ creaturæ alterius mundi possibilis, & perfectiores ipsis, quæ defacto sunt; reverâ essent optima utpote meliores omni termino purè creato: sed per vos ex infinita libertate DEI datur fundamentum grave ad iudicandum, Deum non habere ad hæc omnia moralem necessitatem; ergo ex eadem libertate Dei datur fundamentum grave ad iudicandum DEUM non esse moraliter necessitatum ad optimum, ac proinde neque ad Incarnationem.

Confirmatur 1. Negari nequit, dari fundamentum grave ad id, quod ferè omnes Doctores unanimiter amplectuntur; atqui præter paucos citatos omnes docent, DEUM non necessitari moraliter ad Incarnationem, ut enim ait Bernal disp. 3. num. 3. præter paucos istos nec ullus quidem moralem istam necessitatem insinuat. Confirmatur. In DEO nulla est necessitas absoluta ex Augustino; sed ubi nulla est necessitas, nec moralis reperiri potest; siquidem necessitas moralis necessitas est, & pertinet ad unum ex triplici genere necessitatis: ergo &c. Probatur maj. ex ipsis Augustini verbis lib. 83. Quæst. quæst. 22. quæ ita habet, *ubi nulla indigentia, nulla necessitas, ubi nullus defectus, nulla indigentia; nullus autem defectus in DEO: ergo nulla necessitas.* Hæc Augustinus, quæ adeo clara sunt, ut ulteriori explicatione non indigeant.

Probatur 2. conclusio: nec perfectio naturæ, & voluntatis DEI, nec perfectio, & natura boni creati potest necessitare DEUM moraliter ad eligendum entitativè optimum: ergo neque ad producendam Incarnationem. Probatur ant. Bonum creatum est limitatum, & simpliciter defectibile: natura divina est illimitata, & simpliciter indefectibilis; atqui res simpliciter indefectibilis comparata cum re simpliciter defectibili neque ratione sui, neque ratione termini potest necessitari moraliter ad terminum: ergo &c. Probatur min. Res simpliciter indefectibilis ita est independentes à simpliciter defectibili, ut major independentia excogitari non possit: atqui si vel ratione sui, vel ratione termini necessitaretur, ut conjungeretur cum simpliciter defectibili, non esset ita independentes, ut major independentia excogitari

cogitari non possit; quandoquidem esset certa major independentia, si daretur exclusio talis necessitatis: ergo &c.

142. Confirmatur 1. DEUS ita summè perfectus & felix est ratione respectu felicitatis DEI ita se habeat, ac si nihil esset: ergo neque ratione sui, neque ratione bonitatis creatæ necessitatur moraliter ad illam. Probatur consequenter ut fit DEUS moraliter necessitatus hac secunda necessitate; requiritur, quòd ita sit determinatus ad bonitatem creatam, ut nequeat prudenter formari dubium, aut suspicio de tali bonitate non producenda à DEO attendendo ad naturam ipsius DEI; atqui ex ipsis terminis manifestè apparet, prudenter dubitari posse attendendo ad naturam ipsius DEI, an DEUS electurus sit, vel non electurus id, quòd respectu suæ felicitatis ita se habet, ac si nihil esset: ergo &c. Confirmatur 2. Deus non fuit necessitatus ad tale optimum in tota æternitate à parte ante attendendo ad suam naturam: ergo neque attendendo ad suam naturam erit necessitatus in tota æternitate à parte post. Probatur consequentia; quia Deus non minùs fuit felix ab æterno, quàm erit felix in æternum: ergo &c.

143. Probatur conclusio evertendo præcipuum fundamentum Adversariorum. Si DEUS moraliter necessitaretur ad optimum, maximè, quia summè se amat; atqui de ratione amantis est procurare bona amato, & bona creata, licet non sint intrinsecè, sunt tamen extrinsecè bona respectu DEI: sed hæc ratio nulla est: ergo &c. Probatur min. De ratione amantis non est, procurare bona amato quæ plus auferrent, quàm afferrent illi felicitatis: sed bona creata cum hac necessitate morali plus auferrent, quàm afferrent DEO felicitatis: ergo &c. Probatur min. bona creata, ut ex fide, & pluribus Patrum testimoniis certum est, non sunt bona intrinsecè, sed extrinsecè respectu Dei: atqui cum hac necessitate auferrent à Deo aliquam perfectionem intrinsecam: ergo plus auferrent, quàm afferrent Deo felicitatis. Probatur min. major est perfectio intrinsecè Dei, utpote agentis perfectissimi liberè, omnimoda libertas, quàm libertas diminuta, seu necessitata moraliter: atqui hæc necessitas moralis auferret à Deo hanc omnimodam intrinsecam libertatem: ergo &c.

144. Confirmatur 1. non est de ratione Dei amantis justos procurare illis bona quamquam intrinsecè cum morali necessitate, seu diminutione suæ divinæ libertatis, & perfectionis intrinsecæ: ergo, neque erit de ratione Dei amantis se procurare sibi omnia extrinsecè cum morali necessitate, seu diminutione suæ divinæ libertatis & perfectionis intrinsecæ. Confirmatur 2. in animabus purgantibus, quibus DEUS non statim remittit pœnam, quamquam hoc ipsis melius esset, neque DEUS ullam necessitatem moralem habet, ad illam

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

remittendam, quamquam illæ animæ sint amicæ Dei: ergo pariter in nostro casu. Confirmatur 3. in Christo Domino, cui in hac vita Deus non procuravit omnia bona temporalia, cum plures illi pœnas infligendas permisisset: ergo &c.

145. Respondebis, hanc necessitatem non esse diminutionem perfectæ libertatis intrinsecæ, sicut nec est diminutio in Deo suæ libertatis intrinsecæ necessitas ad non peccandum. Contra tamen: peccatum est Deo intrinsecè malum, ita, ut si Deus peccaret, eò ipso non esset Deus: atqui non eligere optimum, non est ita malum Deo, ut si illud non eligeret, non esset Deus, aliter non haberet libertatem ad omittenda omnia ad extra; imò potius sicut implicat metaphysicè, quòd aliquando peccet, ita implicaret metaphysicè, quòd aliquando non produceret aliquid ad extra, quòd est falsum, & Adversarii quoque fatentur: ergo &c. omitto alterum argumentum, quòd latè profequitur Cardinalis de Lugo disp. 2. probans, inutilis fore Patrum preces pro obtinenda Incarnatione, si Deus jam esset necessitatus ad illam.

## SECTIO II.

### Solvuntur Opposita.

146. **O**bjicies 1. contra primam assertionem: hæc est inefficax argumentatio: si non fieret actus prædefinitus, frustraretur prædefinitio, atqui potest non fieri: ergo potest frustrari; sed similis sunt naturæ argumentationes contra Adversarios: ergo sunt inefficaces. Respondeo conc. maj. & nego min. nam Adversarii in suo syllogismo, ut veritatè contineat, debent distinguere majorè sic: frustraretur prædefinitio, si componeretur prædefinitio actûs cum actûs carentia, conc. si per liberam omissionem actûs impediretur existentia prædefinitionis, nego maj. & dist. min. potest non fieri eadem potentia, qua potest impediri existentia prædefinitionis, conc. sine potentia impediendi prædefinitionem nego min. & conf. Ratio est, quia, ut docet schola nostra, Deus solùm prædefinit actus, postquam per scientiam mediam, quòd homo se determinaret liberè ad actum in his circumstantiis, ab istis comprincipiis indifferentiis, ita, ut non prædefiniisset, si non vidisset hominem liberè se determinaturum, sed potius disensurum; unde casu, quo homo, ut potest, non se determinaret ad actum, Deus nequaquam prædefiniret actum. Quomodo ergo frustraret prædefinitionem actûs per omissionem actûs, si tunc non esset prædefinitio? quamobrem Deus, si nullam habet necessitatem, potest absolute esse sine illa. At cum non possit esse sine sua natura, perperam fit, argumentum à prædefinitionibus ad naturam divinam; atque exinde dissolvitur secundum

argumentum Adversariorum, quòd jam sub-  
jicio.

147. Objicies 2. si homo per longum tempus vi-  
taret omnia venialia absque speciali gratia, non  
esset homo: sed haberet potentiam antecedentem  
sine speciali gratia ad vitanda omnia veni-  
alia: ergo haberet potentiam antecedentem  
ad faciendum, quòd non fit homo: ergo sicut  
iste syllogismus non concludit, ita probatio-  
nes nostræ contra Adversarios non conclu-  
dunt. Respondeo nego maj. ex num. 137.  
homo enim, ut diximus, est talis naturæ, ut cum  
potestate physica possit physice vincere neces-  
sitatem moralem peccandi venialiter, licet non  
possit moraliter vincere eam necessitatem; et  
enim victoria physica non tollit necessitatem  
moralem, sed facit, quòd non sit physice  
necessarium, quòd solum est necessarium mor-  
aliter; sic licet DEUS in camino Babiloniae  
privaverit ignem calore, non sustulit apud  
Adversarios necessitatem physicam; sed so-  
lum fecit, quòd manente physica necessitate  
fundata in natura, & exigentia physica ignis  
ad calorem de potentia absoluta impediretur  
calor, & sic non erat metaphysice necessarium,  
quòd solum erat necessarium physice; at quòd  
DEUS sit talis naturæ, est necessarium metaphy-  
sice; cumque in hoc fundentur argumentati-  
ones nostræ contra Adversarios, non sunt ejus  
generis, qualis est argumentatio Adversario-  
rum.

148. Objicies 3. quando aliquis efficaciter, aut  
perfectissime amat alium propter ejus bonita-  
tem, vult juxta Angelicum 1. contra Gen-  
tes, quidquid pertinet ad perfectissimum statum  
illius: atqui DEUS ex sua perfectione sic se in-  
tendit, & efficaciter amat: ergo sibi vult crea-  
turas meliores ad suam gloriam, ac proinde  
& Incarnationem, ita, ut moraliter non possit  
illam omittere, min. & consequentia tenent.  
Major autem constans est, inquit Juster;  
nam qui alterum perfecte amat, vult illi, quæ  
bona sunt ipsi; amare enim est, velle bonum  
alicui; sed ea, quæ cognoscit, pertinere ad ipsi-  
us gloriam, sunt bona illi: ergo &c. Neque hoc  
argumentum, inquit Adversarius, probat phy-  
sicam necessitatem in DEO: nam DEUS, ut  
ex fide constat, est physice liber, & cum ex  
hoc argumento proberetur in DEO aliqua neces-  
sitas ad optimum, probari solum potest neces-  
sitas moralis. Verumtamen falso supponit Ad-  
versarius, probari ex hoc argumento ullam nec-  
sinitatem in DEO, aut ipsi talem necessita-  
tem moralem esse possibilem. Unde

149. Respondeo 1. permittendo totum primum  
syllogismum in sensu Adversarii. Ad maj. pro-  
bationem dist. min. modo, quo cognoscit perti-  
nere ad suam gloriam conc. modo, quo cognoscit,  
non pertinere, nego min. & consequ. cum autem  
DEUS solum cognoscat, pertinere ad suam glo-  
riam extrinsecam non tollendo ab illo intrin-  
secam perfectionem omnimodæ libertatis, ne-  
quaquã poterit ad illa bona extrinseca morali-

ter necessitari ex dictis à num. 143. ceterum,  
si pro perfectissimo statu intelligat Adversarius,  
quòd est melius suâ carentiâ, ex eadem doctrina  
Resp. 2. facile dist. maj. primi syllogismi, quan-  
do id, quòd vult, non plus aufert, quàm affert  
felicitationem conc. quando plus aufert, nego maj.  
& dist. min. nego consequ. ex dictis à num.  
143. quia bona creata cum necessitate mora-  
li plus felicitatis auferrent, quàm afferrent  
DEO, quandoquidem solum afferrent felicitatem  
extrinsecam, & auferrent intrinsecam per-  
fectionem omnimodæ libertatis; unde manere  
nequit DEUS ad suum perfectissimum statum  
moraliter necessitatus ad illa bona extrinseca.

Objicies 4. instando simul solutionem: me-  
lius esset creaturæ ad suam intrinsecam felici-  
tatem habere antecedenter moralem necessita-  
tem ad ea, quæ pertinent ad ipsius gloriam in-  
trinsecam: ergo melius est DEO ad suam ex-  
trinsecam felicitatem habere antecedenter mor-  
alem necessitatem ad ea, quæ pertinent ad sui  
gloriam intrinsecam. Respondeo nego sup-  
positum consequentis, scilicet quòd bona crea-  
ta possint conducere ad majorem Dei gloriam  
extrinsecam, cum morali necessitate Dei erga  
illa. Ratio est, quia nequit esse major gloria  
extrinseca, quæ præterquam, quòd nullam  
affert intrinsecam felicitatem, tollit intrin-  
secam perfectionem. Hanc autem tolleret à DEO  
moralis antecedens necessitas, ut constat à n.  
243. paritas enim desumpta ex creatura est  
omnino debilis, quia illa diminutio omnimodæ  
libertatis creaturæ tribueret creaturæ intrin-  
secam perfectionem, & felicitatem æternam,  
ac proinde melius se haberet cum illa, quam  
sine illa; hanc autem intrinsecam felicitatem  
non possunt afferre DEO bona extrinseca; unde  
nulla est bonitatis ratio; exinde præoccupan-  
tur plures instantiæ, quas contra aliorum so-  
lutiones opponit Juster. Nec urget neces-  
sitas non peccandi; nam hæc est intrinseca per-  
fectio Dei, ad quam amittendam DEUS non est  
liber, sed est impotens metaphysice peccare;  
unde cum peccato non æquè bene se haberet,  
quam sine illo; at cum creaturis non melius  
se haberet, quàm sine illis.

Objicies 5. contra secundam assertionem:  
DEUS semper eligit, & facit optimum, cum  
possit non eligere, & non facere: sed hæc est  
moralis aliqua necessitas antecedens in DEO:  
ergo &c. Probatum maj. ex Concilio Franco-  
fordiensi in Epist. ad Episcopos Hispaniæ di-  
cente: *credamus, Deum omnia velle, quæ meli-  
ora sunt, & omnia posse, quæ vult*: ergo &c.  
Confirmatur ex Augustino lib. 4. de Genesi ad  
litteram cap. 16. ubi ait: *benefacere si non pos-  
set, nulla esset potentia, si autem posset & non fa-  
ceret, magna esset invidentia*: & ex Clemen-  
te Alexandrino lib. 6. Stromatum post medium.  
*Cum DEUS sit bonus, si cessaret unquam benefa-  
cere, DEUS quoque esse cessabit, quòd nefas est  
dicere*: sic etiam Athanasius lib. de Incarna-  
tione Verbi: *Absurdum, indecorumque erat*  
ejus

*eius operam interire, idq. sub ipsius opificio conspici.* Atque id ipsum docent plures Patres, quos adducit Montoya disp. 9. de voluntate DEI assertionem 4. usque ad 17. pluresque Scholastici, quos adducit tota disp. 10. ergo &c.

152. Respondeo dist. maj. facit optimum modo, quo ipsi optimum est, conc. modo, quo non est optimum ipsi nego maj. min. & consequentiam; quia cum bona extrinseca non sint optima Deo, si afferrent ipsi moralem necessitatem, ut constat à num. 143. exinde nequit illa facere cum morali necessitate. Ad probationem conc. antecedens, & nego consequentiam; quia Conc. Francofordiense non aliter loquitur, quam eo modo, quem exposuimus; docet enim omnia & singula à DEO liberè & efficaciter volita esse meliora, & optima per conformitatem cum sua libera voluntate, quæ est prima omnium moralitatis regula. Ad confirmationem conc. ant. & neg. conseq. quia illa Patrum testimonia solum dicunt DEUM semper facere optimum modo, quo illi optimum est: cum enim ipsi, alique Patres expressè doceant, Deum potuisse mundum non creare, & supposita creatione potuisse permittere, ut humanum genus propter peccatum Adami sine remedio periret, ut constat à num. 97. & 172. dum videntur docere oppositum, explicandi sunt ita, ut sibi ipsis non contradicant, nec ulla excogitabilis appareat explicatio, nisi quam dedimus, scilicet quòd in his testimoniis loquantur de optimo eo modo, quo Deo est optimum, cum autem cum necessitate morali nequeat esse optimum DEO, exinde non possunt Patres exponi de necessitate illa morali Dei ad tale optimum, sed de necessitate libera consequenti, quæ effectum reddit optimum per conformitatem illius cum prima moralitatis regula.

153. Quamobrem optimum relatè ad DEUM non est, quòd intrinsecè melius est suà carentià, vel alio termino positivo, sed quòd est optimum affectivè ad fines à DEO omnino liberè intentos, & modo, quo vult illos obtinere; cum autem Deus non sit antecedenter necessitatus moraliter ad talem finem extrinsecè intendendum, neque erit necessitatus antecedenter ad eligendum tale optimum; cæterum postquam Deus omnino liberè decrevit efficaciter, vel ineffaciter consequi talem finem, ex vi sui decreti manet necessitatus non solum moraliter, sed etiam physicè, & metaphysicè ad eligenda media, ad talem finem proportionata; verumtamen hæc necessitas est purè consequens, cum dependeat à conditione omnino libera DEO: quòd si testimonia Patrum benè expendantur, revera docent hoc, quòd dicimus; etenim, quia infideles, eò quòd illis videbatur indecens, ut DEUS carnem nostram assumeret, & pro nobis moreretur, dicebant hoc revera fuisse indecens. Athanasius verò ad homines, eò quòd non haberet minorem apparentiam indecentiæ, si DEUS permitteret, ut totum

genus humanum sine remedio periret, dicebat in eo sensu, hoc potius esse indecens, & absurdum, licet non fuerit verè indecens, & absurdum, sed solum secundum quandam apparentiam: similiter, quia videtur quædam invidentia repugnans summæ bonitati, ut Deus, si potest, non benè faciat, in eo sensu dicit Augustinus fore invidentiam, si Deus non beneficeret, & Clemens Alexandrinus dicit fore contra summam bonitatem, si Deus aliquando in benefaciendo cessaret, licet hæc revera non sit, nisi tantum apprensens invidentia, de qua tantum apparenter loquuntur illi Patres, quòd si aliquando loquuntur de necessitate; non loquuntur de alia, nisi conlequente fundata in libera Dei voluntate, qua decrevit ita creaturis providere; ita ut non nisi absurdè possit excogitari omisio adimpletionis talis voluntatis efficacis DE I. Et in hoc sensu sæpè loquuntur Augustinus, & Clemens Alexandrinus.

154. Objicies 6. infinita Dei bonitas utpote sui diffusiva, & communicativa habet infinitam viam, & inclinationem se communicandi: sed Deus ipsius inclinationi nequit resistere: ergo habet necessitatem, se communicandi, non quidem physicam: ergo morale. Confirmatur 1. ex Dionysio: *Divinus amor compulsi Deum ad agendum*: ergo &c. Confirmatur 2. ex Luca 11. ubi Christus ait, *si ergo vos, cum sitis mali, vestris bona data dare Filijs vestris, quanto magis Pater vester celestis dabit Spiritum bonum petentibus se*: & ex Ilaia, ubi ait Deus; *nunquid potest oblivisci mulier infantem suum? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui*; ex quibus deducitur, Deum affectivè inclinari erga homines: ita ut necessiter ad benefaciendum illis: ergo cum non necessiter physicè, necessitatur moraliter. Multipliciter explicant Doctores hanc divinam inclinationem. Alii dicunt esse infinitam, alii finitam, alii nullam esse in Deo: ego autem juxta principia superius adducta.

155. Respondeo 1. facile dist. maj. modo, quo est perfectio in Deo se communicare conc. modo quo est imperfectio nego maj. & concessa min. de inclinatione efficaci nego conseq. quia in Deo solum est perfectio, perfectissima non repugnantia antecedens se communicandi, aut consequens inclinatio ex sua libera voluntate, non autem exigentia, seu moralis antecedens necessitas; nam hæc potius officit, quam proficit perfectioni divinæ ex dictis à num. 14. ad primam confirmationem dist. eodem modo antecedens; Divinus Amor modo, quo est perfectio Dei, seu omnino liber conc. modo, quo non est perfectio, sed moralis, seu antecedens necessitas ad producendum aliquid extrinsecum, nego antecedens, & conseq. Ad secundam confirmationem conc. ant. & nego conseq. quia ex illis testimoniis solum infertur, Deum inclinari ad benefaciendum hominibus, non quidè antecedenter per amorem Deo moraliter necessarium, quòd esset imperfectio, sed consequen-

sequenter, & per amorem omnino liberum, quod est magna Dei perfectio. Ex dictis

156. Fit 1. inclinationem Dei ad se communicandum creaturis non esse naturalem, & necessariam per modum appetitus innati, neque per modum necessarii appetitus eliciti, quia hæc potius esset physica & metaphysica, quam purè moralis necessitas, ut constat à num. 132. tum quia hæc inclinatio nequit fundari in amore DEI necessario: nam ut constat ex tractatu de DEO à num. 152. nullus est circa bona creata, quæ utpote limitata non habent tantam vim ad attrahendum, quantum voluntas divina, utpote infinita, habet ad se retrahendum ab amore; neque fundari potest in scientia simplicis intelligentiæ: siquidem ista solum potest allicere DEUM erga bonitatem creatam modo, quo est bonitas respectu DEI, non autem modo, quo non est bonitas; neque fundari potest in complacentia DEI necessaria de possibilibus, quia ut modo diximus, nulla est talis complacentia in DEO circa possibilia; unde cognitiones DEI de bonitate creata inter alia plura in hoc etiam distinguuntur à nostris, quod nostræ proponunt nobis bonum, cum quo melius nos habemus, quam sine illo, secus divinæ Deo.

157. Fit 2. DEUM habere inclinationem omnino liberam ad producendas creaturas, iisque beneficiendum, & ad se ad extra communicandum, quæ quidem inclinatio consistit in decretis, & volitionibus liberis, quibus decernit creaturas producere, iisque providere, & beneficiere; hæc enim propensio, & inclinatio nullam imperfectionem arguit in DEO, sed summam potius perfectionem, & bonitatem; atque per hoc assimilatur amor creaturarum paterno, & materno; non verò quoad omnia: & certè similitudines, ut sæpè diximus, non sunt quoad omnia, aliter non essent similitudines, sed identitates: hæc autem magna est perfectio in DEO; quomodo enim nequit esse perfectio, quòd, cum DEUS possit omnino liberè nos non producere, nobisque non providere, nec beneficiere, liberrimè se determinaverit ad producendum nos, nobisque providendum, & beneficiendum? verùm hæc decreta & volitiones, si inefficaces sint, nullam prorsus afferunt DEO necessitatem moralem; sæpè namque non adimplentur, quæ DEUS inefficaciter vult; vult enim inefficaciter omnium hominum salutem, & quòd nulla detur transgressio mandatorum suorum, & tamen plures damnantur, & præcepta DEI transgrediuntur; si autem decreta DEI sint efficacia, jam sunt necessitas metaphysica consequens in ordine ad suum objectum.

### SECTIO III.

*An reperiat in DEO moralis aliqua necessitas ex suppositione.*

158. **Q**uestio est, an ex suppositione, quòd DEUS producat unam rem cum alterius existen-

tia metaphysicè inconnexam, maneat moraliter necessitatus ad alterius rei productionem. Prima sententia affirmat. Ita Ribadeneira disp. 14. de voluntate cap. 5. Aldrete disp. prima sect. 4. & 5. Herrera: quæst. 11. sect. 2. aliique Recentiores, sed non eodem modo ab ipsis defenditur; nam Ribadeneira statuit talem necessitatem moralem in decretis DEI necessariis, quæ moraliter exigunt producere aliqua contingentia ex suppositione, quòd alia contingentia producta sint: Aldrete verò ait, provenire talem necessitatem ex aliqua DEI complacentia omnino libera, qua ita inclinatur ad rei productionem, ut moraliter maneat necessitatus. Secunda sententia docet in DEO quamlibet necessitatem vel metaphysicam esse, vel nullam: unde ex nulla suppositione oriri posse in DEO moralem necessitatem; ita cum communi sententia Theologorum Borull. disp. 6. de voluntate sect. 6.

Ad plenam quæstionis intelligentiam oportet explicare prius nomen necessitatis moralis; si enim nomen necessitatis moralis abusive sumatur applicando causæ inclinationem effectui, absque dubio reperietur in DEO ista necessitas, quandoquidem plures effectus Dei exigunt terminos suæ inclinationis, ut ignis calorem, ut aqua frigiditatem: sed hoc non esset assumere propriè necessitatem moralem, si inclinatio termini nullam refunderet difficultatem in causa ad privandum effectum termino suæ exigentiæ, sic quia physica exigentia ignis ad calorem non refundit in Deum physicam exigentiam ad producendum calorem ex suppositione, quòd ignem producat, ita ex suppositione, quòd Deus producat ignem, nulla necessitate morali tenetur ad producendum calorem, ut visum fuit in fornace Babilonica: unde si difficultas, quæ relucet in effectu, ut non possit esse sine termino suæ inclinationis, non refundatur etiam in Deum, ea moralis necessitas, quæ reperitur in effectu, non potest propriè dici moralis necessitas in Deo.

Rursus cum omnes res creatæ pendeant à DEI volitione permittente, aut intendente, quotiescunque videmus ad positionem unius effectus, præterquam in aliquo casu extraordinario, poni aliquem terminum, rectè inferimus, DEUM habere liberè decretum conjungendi effectum illum cum termino suæ exigentiæ, præterquam in aliquo casu extraordinario: unde DEUS manet metaphysicè, & consequenter necessitatus ex vi talis decreti ad conjungendum illum effectum cum termino suæ exigentiæ, præterquam in aliquo casu extraordinario: qua de causa, cum homines prudentes discurremus ex communiter contingentibus, licet sciamus, quòd aliquando possit poni ignis, quin ponantur calor, & combustio, Deumque id omnino liberè facere posse; quia tamen scimus, id rarè evenire, & oppositum frequenter contingere, prudenter timeamus adhibere manus igni, ne comburamur, licet contingens

tingens sit, quòd hic & nunc Ignis à DEO priveretur calore, & combustione: Ad hunc enim prudentem timorem satis nobis est agnoscere Ignem Inclinare ad combustionem, & quòd solum rarissime privatus sit à DEO termino suæ exigentiæ, sive combustione. His positis

161. **Altero cum secunda sententia: si necessitas moralis sumatur propriè & non abusive, nulla profus datur in DEO necessitas moralis adhuc ex suppositione. Probat primò si necessitas moralis non accipiat ab abusive, sed propriè, tunc causa est moraliter necessitata ad aliquem effectum producendum; quando sine ingenti difficultate nequit effectum illum non producere: sed licet applicetur Ignis passo disposito, Deus antecedenter ad suum decretum sine ingenti, & sine ulla difficultate potest absolute combustionem impedire, consequenter verò ad suum decretum manet metaphysicè necessitatus, præterquam in casibus rarissimis, ad producendam combustionem, ac proinde nunquam manet cum morali necessitate propriè sumpta: ergo si necessitas moralis propriè, & non abusive accipiat. DEUS ex suppositione ullius rei contingentis non habet moralem necessitatem. **Confirm. 1.** Ut Deus in his circumstantiis sit moraliter necessitatus ad combustionem, debet resistere suæ inclinationi, quæ tanta est, ut nemo prudens speret, Deum illi suæ inclinationi restitutum, sed hoc est ponere in Deo difficultatem ex ipsis terminis sibi repugnantem, ergo &c. **Confirm. 2.** ex Augustino cir. n. 1402. Deus nullà indiget creaturâ: ergo ex suppositione unius inconnexæ metaphysicè cum altera non necessitatur moraliter ad alteram.**

162. **Prob. 2.** si Deus ex productione aliquarum creaturarum moraliter necessitatur ad aliarum productionem, maximè esset propter connexionem, quam inter se habent huiusmodi creaturæ; sed nulla creaturarum connexio potest in Deo arguere propriam necessitatem moralem: ergo &c. **Prob. minor,** illa connexio vel esset metaphysica, vel physica solum, aut moralis? si metaphysica est, jam Deus non quidem moraliter, sed metaphysicè est necessitatus ad aliam ex vi sui liberi decreti; nam volitio producendi unam rem metaphysicè connexam cum altera est volitio producendi alteram; sic Deus volens producere unionem metaphysicè connexam cum extremis vult producere extrema; si autem solum est physica, vel moralis necessitas, rogo, num ponere talem creaturam moraliter, vel physicè connexam cum altera, quin ponatur alia, arguat indecentiam, vel imperfectiorem in Deo, vel non? Si prius: ergo vi sui decreti producendi unam metaphysicè necessitabitur ad alteram; cum metaphysicè sit inconjungibilis cum sui imperfectiorem; si secundum: ergo ex productione unius nullo modo necessitatur antecedenter ad alterius productionem. Pater consequentia: quia Deus habet dominium supra suas creaturas ita perfectum, ut perfectius cogitari non

possit; sed quando non sequitur imperfectio in Deo, perfectius dominium est gaudere omnimoda libertate circa suas creaturas, ergo &c.

163. **Respondedebis,** Deum producentem ignem non posse non producere calorem, si se gerat, ut Author naturæ ex inclinatione, quam habet, conferendi unicuique naturæ creatæ proprietates, quas naturaliter ea appetit; quòd si ut Author naturæ tali exigentiæ creatæ non satisfaciatur, tenetur ad compensationem faciendam, aut ipsi rei; quam privat termino suæ naturalis exigentiæ, aut saltem universo, ex eo, quòd bonum commune prævaleat particulari, conferendo illi aliquod æquivalens, sine quo DEUS non potest fungi munere sapientissimi providentis; quo enim titulo posset dici, DEUS sapientissimus providens, si omnia corpora produceret absque capite, aut omnem ignem sine calore, aut cum frigiditate; unde illa inclinatio DEI, ut Auctoris naturæ ad conferendum unicuique rei id, quòd naturaliter appetit, vel si id non conferat, ad compensandum per aliquod æquivalens defectum illum tali rei, aut saltem universo, est moraliter Dei necessitas ad terminos exigentiæ rerum ex suppositione, quòd producat eas res metaphysicè inconnexas cum suis extremis.

164. **Contrà 1.** dicere, quòd Deus, ut Author naturæ tenetur conferre unicuique rei proprietates, quas naturaliter exigit, solum est dicere, quòd res creatæ sint talis naturæ, ut exigant eas proprietates, non autem est refundere necessitatem in Deum, aliter non solum moraliter, sed etiam physicè necessitaretur Deus ad ita operandum, quòd Adversarii negant; unde absolute DEUS manet liber ad se accommodandum, vel ad se non accommodandum tali rerum exigentiæ, quòd idem est de compensativo; si enim Deus veller omnia difformia producere ad ostendendam exercitè vel sibi soli, vel etiam creaturis suam omnipotentiam, absque dubio id facere posset; sicut in fornace Babilonica ignem privavit calore, & in Eucharistia accidentia inhæsiōne, ex quo absque ulla contradictione inferre posset violentiam creaturis, ut diximus de actibus humanis; cum enim motivum DEO necessarium ad operandum sit duntaxat ejus gloria ex illo prov. 162. *universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Nullo modo tenetur ad compensativum, si ad suam gloriam ostendendam exercitè velit rem, aut totum creaturarum universum manere absque compensativo; ergo ex Deo, ut Auctore naturæ perperam in ipso inferretur ulla necessitas moralis.

165. **Contrà 2.** dato, & non concesso, quòd Deus teneatur necessariò conferre unicuique rei proprietates, & perfectiones, quas naturaliter appetit, aut æquale compensativum saltem universo, eò quòd alter non esset sapientissimus providens, sed insipientissimus, ut aiunt Adversarii; exinde nulla potest in DEO inferri moralis necessitas; quòd enim DEUS in suis operi-

operibus non se gerat insipienter, est Deo metaphysicè necessarium; unde in ea hypothese ipsa Divina libera volitio efficax producendi res esset quoque volitio efficax conferendi illis proprietates, quas naturaliter appetunt, vel saltem conferendi illis aut universo aliquid æquivalens; quapropter, sicut Deus ex sua libera volitione determinatur ad producendas res, ita determinaretur ad producendas earum proprietates, vel ad apponendum æquale compensativum, ita ut repugnaret metaphysicè aliter evenire, sed exinde inferretur in DEO non quidem ulla moralis necessitas antecedens, sed pura necessitas metaphysica consequens, qualis inferitur ad ponenda extrema ex eo, quòd velit ponere unionem metaphysicè connexionem cum extremis: ergo ex ea hypothese non inferitur in Deo ulla moralis necessitas.

166. Prob. 3. conclusio specialiter contra P. Aldrete; idè per se Deus ex productione unius creaturæ non necessitatur moraliter ad aliam, quia creaturæ sunt quasi nihil in conspectu Dei; sed ex hoc etiam arguitur Deum, ex complacentia creaturarum non necessitari moraliter ad alias, ergo &c. Prob. minor, licet concedamus Adversario, quòd falsum est, nempe Deum necessariò complacere in creaturis possibilibus, at nequit ex merito rei complacere in aliqua re magis, quàm res ipsa in se sit bona; prudens enim complacentia tendit ad objectum juxta mensuram, & dignitatem objecti, sed per se bonitas rei talis est, ac si nihil esset respectu Dei, ergo illius complacentia nequit, ita ligare Deum, ut ipsum ad aliquam creaturam moraliter necessitet.

167. Confirm. 1. Licet lignum mensuretur regulà ligneâ, vel aureâ, nequaquam inde crescit meritum ligni, nec physicè aut moraliter refundit aliquam exigentiam in alteram præ altera regula; ergo sive mensuretur bonitas creata à complacentia creata, quæ finita est, sive à complacentia Divina, quæ ex parte sui infinita est, nullam exinde refundet moralem, aut physicam exigentiam in regulam Divinam præ creata. Confirm. 2. Divina complacentia, & volitio efficax de objecto distinguuntur in eo, quòd complacentia movet duntaxat juxta mensuram talis volitionis, idèque licet Deus possit efficaciter æquè velle res in se minùs perfectas, quàm perfectiores, nequit in eis efficaciter complacere; ergo ex Divina complacentia creaturarum, quæ quasi nihil sunt in conspectu Dei, nequit manere Deus moraliter necessitatus circa creaturas.

#### SECTIO IV.

##### *Solvuntur Opposita.*

168. Objicies 1. si, quando causa secunda est debite applicata v. g. cum ignis est debite applicatus ad comburendum, non necessita-

retur Deus moraliter ad combustionem, nemo posset prudenter sibi suadere potius futuram, quàm non futuram combustionem; sed hoc aperte falsum est, aliter absque prudenti timore combustionis potius, quàm non combustionis posset quis extendere manum ad ignem applicatum passivo, quòd nemo concederet; ergo in eo casu manet Deus moraliter necessitatus ad combustionem. Prob. minor, exigentia ignis non necessitat Deum physicè ad combustionem; cum nequeat tollere dominium absolutum, quòd habet Deus ad utendum creaturis pro suo libitu, & ad faciendum, quòd ignis applicatus physicè non comburat; quòd ita contigisse constat ex Sacra Scriptura in igne fornacis Babiloniæ; ergo si Deus in eo casu physicè, & metaphysicè liber, non maneret saltem moraliter necessitatus ad combustionem, æquè prudenter possemus sperare non combustionem, quàm timere combustionem. Prob. consequentia: Deus absque metaphysica, physica, & morali necessitate maneret æquè indifferens ad operandam, quàm non operandam combustionem; sed quando Deus est æquè indifferens, non minùs prudenter possemus sperare non combustionem, quàm timere combustionem: ergo &c.

Resp. disp. maj. ex applicatione præcisa ignis, conc. ex natura ignis simul cum decreto Dei satis nobis cognitum; nego maj. & distincta minore, nego consequ. Ad prob. diff. ant. exigentia ignis præcise sumpta, con. simul cum decreto DEI satis nobis cognitum in ordine ad frequentes operationes, nego ant. & consequentiam. Ad consequentiæ probationem distinctis eodem modo præmissis nego consequentiam. Ratio est, quia Deus habet decretum generale se accommodandi exigentiæ creaturarum, præterquam in raris casibus scientiæ Divinæ reservatis; cum autem nobis non constet, aliquem casum singulare esse ex reservatis Divinæ scientiæ, & aliunde constet ex ipsa experientia de generali decreto, imprudentissimè extenderemus manum ad ignem applicatū; ex quo nec per umbram inferri potest ulla moralis necessitas in Deo ad combustionem, quin potius non combustio in aliquo raro casu ex reservatis Divinæ scientiæ miraculosè eveniret; siquidem nulla causa moraliter posset in ea hypothese privare ignem combustionem; atque adeò esset opus Dei, qui licet sit Auctor naturæ, est tamen infinitè perfectus & liber ad decretandum, quando, & quomodo se velit accommodare naturæ rerum creaturarum, quæ nullam habeant metaphysicam connexionem cum aliis.

Objicitur 2. potest homo, qui sanctissimam vitam duxit, nullumque præceptum usque ad articulum mortis cum plena advertentia violavit, in extremis vitæ constitutus perire à Deo donum perseverantiæ, pro cuius consequentione tunc etiam intercedant omnes Sancti, & Virgo Deipara. Quo in casu absque ullo dubio opposito quisque prudens judicabit, concedendum

dum esse illi homini donum perseverantiæ; licet Deus illud absolute possit non concedere; atqui ad efformandum illud iudicium est rigoroſa, & absoluta neceſſitas moralis, quæ in eo ſtat, ut licet non habeat metaphyſicam aut phyſicam connexionem cum re, habet tamen cum iudicio omnium prudentum: ergo &c.

171<sup>a</sup> Reſp. admiſſo tali caſu, diſt. maj. quiſque prudens iudicabit ex præciſa ratione precum; nego; ex natura præcû cum ſimul generali decreto Dei, conc. maj. & nego min. cum conſequentia. Ratio eſt, quia Deus habet generale decretum concedendi æternam ſalutem petentibus, ſi bene petamus, ut inferitur ex verbis Chriſti Domini: *petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulſate, & aperietur vobis; omnis enim qui petit, accipit, & qui querit, invenit, & pulſanti aperietur.* Matth. 7. unde quando Deus non concedit, quod petimus, id eſt, quia non bene petimus, ut Jacobus ait Epistolâ ſua canonica cap. 4. *Petitio, & non accipitis, quod male petatis.* Cùmque quiſque prudens in eo caſu cenſeret abſque dubio Deiperam, omnẽſque ſimul Sanctos, & hominem illum bene petere, inferret in Deo ratione precum, & generali ſuo decreto metaphyſicam neceſſitatem ad conferendum illi homini donum perseverantiæ; quamobrem non eſſet neceſſitas moralis, ſed metaphyſica conſequeſ.

172<sup>a</sup> Quod ſi in hoc generali decreto excogiteret aliqua particularis exceptio pro rariffimis caſib<sup>9</sup> Divinæ ſcientiæ reſervatis, ſat erit ad iudicium prudentum voluntas Dei generalis accommodandi naturæ talium precum, ut in caſu particulariter pro cujus exceptione nullum motivum fundamentumque habemus, cenſeremus prudenter, preces illas non eſſe fruſtrandas hic & nunc re poſtulatæ; ut de combustione in ſimilibus caſibus Particularibus diximus. Etenim ad iudicium prudentum ſatis eſt fundamentum hic & nunc inclinans ad rei poſitionem, quin appareat fundamentum ullum poſitivum inclinans potiùs hic & nunc ad rei omiſſionem, quàm ad poſitionem; ceterum, quia hoc fundamentum ſeorſim à decreto libero Dei ſe accommodandi hic, & nunc exigentiæ talis fundamenti nullam refundit neceſſitatem in Deum; Exinde hic & nunc maneret Deus omnino liber, & abſque ulla neceſſitate phyſica, vel morali; neque hoc impedit prudens iudicium creaturarum, cùm ad illud efformandum ſatis ſit rebus bene expenſis fundamentum quo ad nos hic & nunc magis inclinans ad poſitionem, quàm ad rei omiſſionem, ut contingeret in noſtro caſu.

173<sup>a</sup> Obijcies 3. Patres creati ex vi ſuæ naturæ, & antecedenter ad omnem actum liberum ſuæ voluntatis habent naturalem inclinationem ad benefaciendum filiis, quæ quidem inclinatio cùm metaphyſicè, aut phyſicè poſſit vinci à parentibus nolentibus pro ſua phyſica libertate ſe accommodare tali inclinationi, nec benefacere filiis, non aſſert neceſſitatem metaphyſicam, aut phyſicam, ſed aliqualem duntaxat

moralem; atqui huic neceſſitati eſt ſimilis neceſſitas DEI ad benefaciendum creaturis, ut Iſaiæ 40. à Deo dicitur. Numquid poteſt obliſci mulier infantem ſuum, & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliſcar tui; ergo hæc neceſſitas in Deo non eſt metaphyſica, aut phyſica, ſed tantùm moralis. Confirmatur: hæc neceſſitas moralis pro priori ad quodcunque liberum decretum, & præciſe fundata in natura Patris eſt major, quò minus depravata eſt natura Patris; aliàs non eſſet legitimum illud Chriſti Domini argumentum Luc. XI. ſi ergo vos cùm ſicis mali, nõſtis bona dare Filiis veſtris; quanto magis pater veſter cœleſtis dabit Spiritum bonum petentibus ſe; atqui natura Dei nequit eſſe depravata, ſed eſt eſſentialiter ſanctiſſima; ergo habet neceſſitatem moralem multò majorem, quàm habeat Pater in creatis ad benefaciendum Filiis ſuis. Ex dictis

174<sup>a</sup> Reſp. conc. maj. diſt. min. huic neceſſitati eſt ſimilis neceſſitas Dei quoad aliqua conc. omnia quoad, nego min. & conſeq. quia ea neceſſitas moralis in creaturis cùm conſiſtat in aliqua ſympathia inter ſanguinem & ſanguinem, ratione cujus aliquo modo patitur Parens, quando adverſit pari Filium, ut conſtat in iſtis brutis, aliqualem illis aſſerre difficultatem ad non benefaciendum Filiis, cujus difficultatis, & compaſſionis capax eſt natura creata, quæ cùm non habet perfectionem niſi mixtam imperfectione, continet poteſtatem ad benefaciendum mixtam cum imperfectione aliqualis diminutionis perfectiſſimæ libertatis, quæ quidem diminutio haberetur ab ipſa difficultate, quam trahit per identitatem moralis neceſſitas. Perfectiones autem, quæ relucent in creaturis, non poſſunt in Deo reperiiri niſi depuratæ ab omni imperfectione, ac proinde depuratæ à compaſſione, & à neceſſitate morali, ſive à difficultate, quam per identitatem trahit neceſſitas moralis; idcirco non poteſt eſſe ſimilitudo, quantum ad hoc, inter neceſſitatem creaturarum, & neceſſitatem Dei ad benefaciendum; unde ſimilitudo in eo ſtat, quòd in Deo datur in hac providentia inclinatio ex libero appetitu elicito ad benefaciendum creaturis major, quàm ex appetitu innato deſur in Parentibus creatis ad benefaciendum Filiis; nam in parentibus fruſtrari poteſt, ſecus autem in Deo, proindeque in textu dicitur. *Et ſi illa oblita fuerit; Ego tamen non obliſcar tui.*

175<sup>a</sup> Ad confirmationem diſt. maj. eſt fundata in præciſa natura continente perfectionem mixtam imperfectione, conc. in præciſa natura Patris depurata ab omni imperfectione, nego maj. nec aliter procedit argumentum Chriſti Domini, niſi in ſenſu à nobis expoſito; & con. min. nego conſequentiam; ratio eſt, quia eò ipſo, quòd natura Dei perfectiſſima ſit depurata ab omni pravitare, eſt pura perfectio ſine imperfectione, ac proinde non continet imperfe-

perfectionem necessitatis moralis; unde argumentum Christi Domini ita procedit; si vos, cum sitis mali, annuitis Sympathicæ ei inclinationi naturaliter beneficiendi Filiis, Pater vester cœlestis, qui malus esse non potest, nec infidelis in promissis, cum per suam liberam voluntatem promiserit benefacere creaturis, & dare Spiritum bonum petentibus se; quanto magis annuit ipsi inclinationi elicite? in hoc enim est tota vis argumenti, ex qua neutiquam inferitur, sed potius eliminatur à Deo quæcumque moralis necessitas. Ex dictis

176.

Fit. 1. non solum in hac providentia, in qua Deus decrevit nunquam conjungere gratiam sanctificantem cum peccato lethali, verum etiam in alia providentia, & independenter ab ullo decreto libero Dei, gratiam habituales nunquam conjungendam esse cum peccato lethali, si Deus velit se accommodare exigentiæ ipsius gratiæ; quia, ut diximus in tractatu de gratia; gratia habitualis licet non habeat metaphysicam oppositionem cum peccato, habet tamen oppositionem ex natura rei; unde si Deus non excluderet peccatum à subiecto, in quo reperitur gratia, cederetque juri per peccatum acquisito, ageret contra naturam gratiæ; quare ex generali etiam decreto, quo voluit in hac providentia se accommodare rerum exigentiis, præterquam in aliquo casu rarissimo, inferri quoque potest, gratiam regulariter non conjungendam cum peccato; ideoque peculiare decretum circa gratiam tendit ad impedendam eam conjunctionem etiam pro peccato rarissimo.

Fit. secundò, quomodo inferenda sit certitudo de eo, quòd Beatissima Virgo non contraxerit peccatum originale ex præcisa suppositione, quòd Deus eam elegerit in matrem; dupliciter enim id fieri potest, primò quidem per congruentias, nam congruum est, ut Mater Dei purissima sit, nec ulla peccati labe infecta, quòd tendunt plura Patrum testimonia, secundò per indecentiam, quæ refunderetur in Deum; Christus enim, qui verus Deus est, est etiam verus Filius naturalis Deiparæ; unde ex titulo Filiationis naturalis teneretur Filius Matrem liberare, quando potest, à maxima ipsius ruina, peccatum autem originale est maxima ruina, & detrimentum animæ; unde si Matrem non liberasset, hæc indecentia aliquo modo videretur refundi in Filium, quod metaphysicè repugnat, ex quo inferunt decretum eligendi Mariam in Matrem fuisse decretum eam præservandi ab omni culpa; cumque decretum istud extiterit in Deo, nullum est excogitabile, quo peccatum originale contraxerit, aut commiserit, quòd tendunt plura testimonia, & argumenta Theologorum. Cæterum si nulla in Deum refunderetur indecentia ex eo, quòd non ita præservasset Matrem, quam elegerat, nec ullo titulo teneretur ex vi electionis ad talem præservacionem, non potest formari efficax argumentum ex indecentia, quòd refunderetur in Deum, ac proinde tunc recurrendum esset, ut alii faciunt, ad id, quòd Deus in hac providentia decrevit circa Matrem suam, quòd inferendum est ex testimoniis scripturæ, conciliorum, & Theologorum.

## DISPUTATIO V.

## AN VERBUM DIVINUM SIT INCARNATUM?

## SECTIO I.

*Proponuntur Hebræorum, & Hæreticorum errores.*

178. **P**ostquam de possibilitate, convenientia, & necessitate Incarnationis egimus, superest agere de existentia hujus Mysterii, quam Fides Catholica docet; onus hoc peculiare est Theologorum, cumque ad nullum alium Theologiæ tractatum spectet nisi ad hunc, ut optimè notavit Exim. Doctor, ideò locum proprium hic sibi vendicat; cæterum, quia contra hoc Mysterium Pagani, Hebræi, Hæretici pugnant, & pugnant, ostendenda contra eos est Catholica veritas; Hebræi, qui solum admittunt testamentum vetus, ex ejusdem testimoniis sunt impugnandi, Hæretici verò admittentes utrumque, ex utroque convincendi sunt. Pagani verò & verus, & novum testamentum respicientes signis credibilitatis nostræ Fidei, & naturalibus rationibus inducendi sunt ad hanc veritatem agnoscendam. In hac disputatione colligemus errores omnium, & Judæos præsertim impugnabimus, in sequenti autem Paganos & Hæreticos.

**S**uppono 1. Mysterium Incarnationis, quòd Fides Catholica proficitur, in eo stare, quòd Verbum Divinum sibi assumpserit humanitatem per substantialem unionem, quo fit, ut aggregatum ex Verbo, & humanitate sit verus Deus, & homo, & exinde humanitas illa dicitur unita Divinitati. Hoc olim Deus promiserat per Prophetas, & ut ait Apostolus ad Gal. 4. *ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Hunc Dei Filium, nempe Deum simul, & hominem vocamus hebraicè Messiam, Græcè Christum, Latine unctum; cæterum, quia Hebræi non solum negant, Messiam venisse, sed etiam contendunt, futurum esse purum hominem, ad confirmandam contra ipsos veritatem Catholicam ex veteri testamento, quòd ipsi admittunt, conveniunt cum ipsis in hoc, nomine Messias significat.